



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

4. A cacodæmone immissum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

In somno occurrebant. Plut. in Theseo. Sic Themistocli Miltiadis Persica trophæa non modò somnum adimebant, sed & somnia condiebant. *Idem.* Sic Darium Persarum Regem anxium instantibus curis (nam prælium instabat cum Alexandro committendum) agitabant etiam per somnum imminentium rerum species, quas ægritudo mentis accersit. Curtius lib. 3. c. 7. Sic M. Marcellus Conf. tanto cum Annibale dimicandi ferebatur studio: ut, sapè etiam in somnis, singulari certamine, cum eo sibi videretur congredi. Plut. in eius vita. Sic quidam somniabat morderi se lethaliter à marmoreo leone, ex his, qui in templorum vestibulis corni solent. Die autem postero, cum templi fores casu præteriret, leone spectato, non sine risu somnium suum inter comites narravit, & manu in apertum os illius protinus iniecta, dixit: *en nocturnus hostis meus.* Scorpio itaque, qui in imis faucibus leonis delitescebat, lethaliter eum vulneravit. Petrarch. Nec rarò conscientia scelerum animum etiam per quietem cruciat. Sic Nero Cæsar nunquam somniare solitus, nisi post interfectam matrem, cuius manes etiam dormiens sentiebat. Sueton. Ex moribus hæc petuntur somnia.

IV. (d) A demone immissa veniunt, qui celer, & vafer artifex, ipsis etiam somniis, si Deus annuat, ad peccandum trahit. Cum Pontius sederet pro tribunali, capitalem sententiam jam jam dicturus in Christum, nuntius advolat à conjugè, quæ oblatò sibi somniò, maritum sollicitè monebat: *Nihil tibi & justo illi.* *Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Nempe diabolus omnem movit lapidem, omnem excogitavit stropham, ut Servatoris necem impediret. Idem veterator ut onirocriticam, seu artem divinatoriam ex somniis confirmet, simplicèsque mortales noxiis superstitionibus involvat, multa revelat onirocritis, auguribus, divinatoribus, quibus & ipsos, & per eos seducat quàm plurimos, & sibi mancipet. Sic quidam somniarat, se videre ovum ex lecti cubicularis fascia dependens. Id somnium retulit ad conjectorem: hic iussit, ut eo loco foderet; defossam enim esse thesaurum: fodit; invenit; & argenti paululum detulit ad conjectorem, de auro dissimulans. Tum conjector: *Quid? nihilne de vitello? id est, de auro?*

V. (e) Sunt somnia à Deo oblata. *Si quis fuerit inter vos Propheeta Domini, ait ipse, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Num. 12. Quod Jobus confirmans: *per Somnium, inquit, in visione nocturnâ, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.* c. 33. Ita Somnia

(d) A diabolo immissum. (e) A Deo oblatum.